

etiamsi verum hoc esset, nihil tamen inde praesidii quaeri poterat, cui non satis in praecedentibus obuiam me iuisse putarem. Ita enim *ULPIANVM* in *Libro tricesimo ad edictum* et de deposito, et de sequestratione disputasse, vero puto simillimum esse <sup>cc)</sup>, idque ideo factum esse videtur, quia plerumque, ut dixi, certe olim, sequestratio per contractum depositi perficeretur. Quid vero, si quis homo practicus, cui omnia sordent, ex quibus non aliqua in praxin redundat utilitas, quaereret: Quid interest, vtrum sequestrationem depositum dicas, an alium quemdam contractum? Nomen forte aliud erit, res non alia. Nec argutias has, subtilesque distinctiones forum vnquam recipiet. Quid tum respondendum erat? Sed primum puto, hominem vere practicum ita quaerere non posse. Nam qui ita quaereret, palam profiteretur, ignorare se insignem illum depositi in iure fauorem <sup>dd)</sup>. Dein, quis vnquam dicet, nomine tantum, non re haec varia genera contractuum differre, quibus posse sequestrationem perfici diximus? Denique nec vllus erit ita ab omni elegantia alienus, cui, etiamsi haec res vsum non praestaret, curae non sit, scire, quae sequestrationis propria vis sit et natura.

§. XII.

AN SEQUESTRATIO POSSIT LEX CONTRACTVI DEPOSITI AD-  
IECTA DICI, ET QVAE EX SEQUESTRO ACTIO DETVR?

PVTO autem ipsum *CVIACIVM*, qui alias tenaciter defendit, esse

cc) Quod coniiicio ex c. 1. 5. 7. D. de- 30. ad edictum, quibusque omnibus  
positi item c. si apud te 18. D. de aut de deposito, aut de sequestro,  
praescript. verb. et c. commendare 186. aut de vtroque simul agitur.

D. de V. S. et c. neque pignus 45. de dd) Conf. *COCCEII Ius Contr. Tit. de-*  
Reg. Iur. quae omnia sunt ex Libro *positi. quaest. 16. in fine.*